

burg



16/

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.



23

I. N. D. N. F. C. Pri. 24. num. 8.

P. N. 10.

1670/20a

22

DISPUTATIO JURIDICA
De
**JURE
POSTHUMI,**

Quam

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, atque
Consultissimi,*

DN. GERHARDI von Stöffen /

V. J. D. Inst. Imper. in Inclyta Argent. Universitate

P. P. Eiusdemque p. t. RECTORIS MAGNIFICI; Patroni
ac Præceptoris sui æviternum colendi.

SOLENNI


Eruditorum Disquisitioni subijcit

JOHANNES SCHERBACH

Hauvingâ - Marchicus.

A. & R.

die 19. Martij horis locoque solitis,



ARGENTINÆ

Litteris JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

ANNO clō Ioc LXX.




P. 231.

5.



THESE
POSTHUMI
DR. GERHARDI
JOHANNES GÖTTSCHEWITZ
LUCAS JOHANNES WILHELM TEGEMER
Anno d. 1791



rem
fol
ori
qu

Pro
nat
chu
cup
tre

de





J. N. J.
DISPUTATIONIS
De
JURE POSTHUMI.
THESIS I.

Animus non est, neque ingenii mediocritas patitur, Commentarium conscribere; sed pangere quoddam exercitium Academicum de Jure Posthumi, ita ut quidem prior nominis, ac potissima rerum sit cura.

II. Posthumus si analogiam Grammaticam sequimur, solum à post derivatur; quanquam non male ex post & humus originem habere judicetur. Huc alludit comicus in Aulular. apud quem Megadorus Senex. act. 2. sc. 1. vers. 40. ita loquitur:

*Post mediam aetatem qui mediam duxit uxorem domum,
Si eam Senex anum pregnantem fortuito fecerit:
Quid dubitas quin sit paratum puero nomen posthumus?*

Procul dubio notabat morem Romanorum, qui saepe liberis, nativitate quodam eventu, nomina imponebant. Ita Plutarchus in Coriolano: Nonnullos, inquit, adhuc è nascendi sorte nuncupant; ut Proculum, qui absente Patre natus est; Posthumum, qui patre mortuo &c. Neque repugnant versus Virgilii 6. Aeneid.

*Sylvius Albanum nomen tua posthuma proles
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet Sylvius Regem*

de quibus vid. A. Gell. Noct. Attic. 2. cap. 16.

A

III. Ma-

III. Magis ad rem responsum Ulpiani in l. 3. §. 1. ff. de injust. rupt. & irrit. ubi posthumi illi, qui post mortem parentis nascuntur, & in l. posthumus. 6. pr. ibi: si in utero fuit mortis eorum tempore. ff. de inoff. test. Ita Cajus de Exheredatione liberorum lib. 2. tit. 3. §. 2. Posthumorum duo genera sunt, quia posthumi appellantur hi, qui post patris mortem de uxore nati fuerint, & illi qui post testamentum factum nascuntur. Neque vero exinde concludendum esse statuimus, necessario Posthumus cum aspiratione esse scribendum. vid. Gothofr. ad d. l. 3. §. 1. ff. d. injust. rupt. & irrit.

IV. Græci quoque ex Latino *ὑστερον*, non *ὑστερον* dicunt. Gothofr. d. l. alias idem illis est *ὑστερον*, quasi tarde genitus, & *μεταγενεσ* quasi post natus. Neque vero facile uno vocabulo posthumus in aliis idiomatibus exprimitur. Nam & Germani posthumum nominant, ein Kind / so nach des Vatters Tod geböhren: Galli: l'Enfant né après la mort de son pere; Itali: Figliuolo nato dopò padre morto. Hispani: Hijo nascido despues, que su padre morio. vid. Jun. in Nomenclatur. tom. 1. cap. de Homine & partibus hum. corp. Quanquam eodem sensu Latinam vocem quoque civitate donarint. Ita Itali: posthumo, si chiama quello che nato dopò la morte del padre. Dictionar. Ital. Phil. Venuti de Corton.

V. Dicuntur autem non solum posthumi, qui mortuo patre nascuntur, uti dictum, sed etiam in latiore significatione, qui post Testamentum patris, sui heredes facti sunt, sive ante Testamentum, sive postea nati, vivente tamen patre. d. l. 3. §. 1. l. Gallus. 29. §. Nunc de Lege velleja. 11. & seqq. ff. de Lib. & posth. §. 2. Inst. d. Exhered. lib. Caj. d. §. 2. Et hi iterum duplices sunt: vel sui, vel alieni. Gothofr. ad l. posthumorum. 13. pr. ff. de injust. rupt. Posthumus suus vocatur, qui natus inter suos heres Testatori futurus non est. v. g. natus ex filio emancipato, aut posthumus fratris arg. l. pen. ff. d. Leg. 1. §. Posthumo. 26. Inst. de Leg.

VI. Quasi posthumus suus fit per quasiagnationem. d. l. 13. in pr. & circa fin. d. §. 2. v. g. si filius meus me vivo moriatur, aut qualibet ratione exeat de potestate mea, incipit nepos in ejus loco succedere, & quasi adnasci. d. l. 13. ff. d. injust. rupt. d. §. 2. vers. sed si. Inst. de Exhered. lib. Si filiusfam. de castrensi peculio

culio testatur, & patre eodemq; avo mortuo, paterfam. fiat, & filius sub eius recidat potestatem. *arg. l. filius. 28. §. 1. ff. d. lib. & posth.* Ita quasi posthumus suus est, qui post Testamentum factum adoptatur vel arrogatur. *arg. l. verum est. 8. pr. ff. d. t. d. injust. rupt. & irrit. §. 1. Inst. Quib. mod. test. infirm. vel legitimatur:* Nam & legitimati heredum suorum jura nanciscuntur. §. 2. *Inst. d. hered. quæ ab intest.* adeò, ut tempus legitimatiõnis retrahatur vel ad tempus partus, imò ipsius conceptionis, quod nascenti sit utilius. *arg. N. 89. c. 8. §. 1. in f.* Quasi posthumus alienus inter liberos quidem est, sed ulteriori non primo gradu. *arg. d. §. 26. Inst. d. Leg. junct. §. 2. Inst. d. hered. qual. & diff. §. 2. in pr. & vers. ita demum. Inst. d. hered. quæ ab intest.*

VII. Jus quasi posthumorum suorum maximè in materia testamentaria spectatur. Nam si quis illorum neque institutus, neque exheredatus testamento fuerit, rumpitur testamentum, totumque infirmatur: *d. §. 2. Inst. d. Exhered. lib. d. l. 13. ff. d. injust. rupt.* Itaq; L. Velleja provisum, ut, ad similitudinem verorum posthumorum, quasi illi vel instituerentur vel exheredarentur, ne testamenta perirent. *d. §. 2. in fin. d. l. 13. in f. d. l. 29. §. II. ff. d. Lib. & posth.* Posthumus autem alienus, etsi antea inutiliter ei legabatur. *§. posthumus. 26. Inst. d. Leg. herestamen & olim & nunc institui potest. §. posthumus. 28. Inst. eod. junct. pr. vers. Nam si alienus. Inst. de Bon. Poss. Fac. l. Titius. 25. §. 1. ff. de Lib. & posthum.*

VIII. Enimvero non vacat, de quasi posthumis hic plura congerere. Temporis enim, quo coarctatus sum, penuria facit, ut de vero posthumo tantum agere possim: Quem defino eum: qui, quæve post patris obitum legitimè natus natave est. Cujus definitionis veritatem satis perspectam esse puto ex iis, quæ jam allata sunt, modo explicemus, quomodo & intra quod tempus posthumus nasci debeat. Nam quod de justo matrimonio loquamur, per se patet. *arg. §. si adversus. 12. Inst. de Nupt.* Uti & illud, quod posthumos intelligamus, qui primo in gradu liberorum sint, quanquam interdum & nepos posthumus esse queat. *arg. §. 1. in f. ibi: filios & deinceps Inst. de exhered. lib. l. 3. pr. ibi: si non alius & c. C. de posth. heredib. instit. l. Gallus. 29. pr. ff. d. lib. & posthum.*

IX. Legitimè natus videtur (1) si tempestivè nascatur. Nam si mulier, ex qua posthumus vel posthuma speratur, abortum fecerit, partus posthumus dici nequit. *arg. d. §. 1. vers. ideoque. Inst. d. exhered. lib. 1. 2. C. d. t. de posth. her. instit.* Abortivus enim vel abactus venter, partum non efficit. *Gothofr. ad d. l. 2. §. 1. §. pen. ff. d. vent. in poss. mitt.* (2) si nascatur vivus. *arg. l. 3. ibi: si vivus &c. C. de posth. hered. inst.* Nam qui mortui nascuntur, neque nati neque procreati videntur; neque unquam liberi appellari potuerunt. *l. qui mortui. 129. ff. d. v. s.* Vivus autem nascitur infans, si vocem emisit, etiamsi illico decesserit. *arg. d. l. 3. ibi: voce autem non emissa. C. d. posth. hered. instit.* aut si cum spiritu fuisse cognoscatur. *arg. d. l. 3. ibi: si vivus natus esset &c. l. quod dicitur 12. §. 1. ibi: cum spiritu tamen. ff. de lib. & posth.*

X. (3) Legitimè natus est, si integrum sit animal. *d. l. 12. §. 1. ff. d. Lib. & Post. id est: si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum vel prodigium. d. l. 3. in f. C. d. posth. hered.* Neque enim sunt liberi, qui contra formam humani generis converso more procreantur, veluti si mulier monstruosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit. *l. non sunt 14. ff. de stat. hom. v. g. si ex homine generetur corpus leporinum aut equinum, vel ex ove lupus, ex equa lepus, ex vacca leo &c. Gædd. ad l. ostentum. 38. n. 10. & seqq. Add. Ful. Clar. lib. 3. sent. §. Testamentum. q. 45. in Addition.* Nam si modò ostentum sit editum, i. e. ubi natura vel in excessu vel in defectu peccat; ut si quis nascatur, qui tres pluresve habeat manus, aut pedes, qui 6. pluresve digitos in manibus singulis, qui duobus capitibus, aut tribus pluribusve oculis eduntur &c. si quis uno brachio vel pede, aut in versis brachiis pedibusve, vel uno, nullove oculo, aut sine naribus sineve naso à ventriculo natus: alia ratio est: Nam tùm humanus partus censeretur, quod natura saltem videatur humana officia ampliassse. *d. l. 14. ff. d. stat. hom.* Si quid enim membrorum, eorumque officiorum naturæ peccato ablatum est, humanam tamen speciem & consuetudinem retinuit, neque formam penitus exiit. *Gædd. d. l. n. 8. & seqq. Fac. l. Idem Osilius. 10. §. 2. ff. d. edilit. Ed.*

XI. An ergo monstruosus partus plane non proderit?
Aff.

Aff. Ulp. in l. *quæret aliquis*. 135. ff. d. V. S. scilicet si agatur de evitanda pœna parentum. Nam quolibet modo satis est, studuisse parentes legitimam prolem generare, ut pœnam coelibatus & orbitatis effugiant, non enim imputari illis debet, quod fataliter accessit, si statutis obtemperare voluerunt. *Gædd. ad d. l. 135. Gothofr. ad d. l. 14. ff. de stat. hom.* Quid vero si ventre matris exfectus sit? Haberi pro legitime nato, dum modo vitalis sit, *arg. l. posthumus. 6. in fin. pr. ff. d. inoff. test. l. quod dicitur. 12. in pr. ff. d. Lib. & posth. l. 1. §. sed si. 5. ff. ad Sct. Tertull. l. 1. §. si qua. 9. ff. unde cognati. l. etiam. 141. l. anniculus. 132. in f. ff. d. V. S. & unobique Gædd. Gothofr. ad d. l. 6. ff. d. inoff. test. & l. 2. C. d. posthum. her. instit. quibus Adde Card. Tusch. vol. 6. Præc. conclus. 107.*

XII. (4) Legitime natus est posthumus, qui intra justum tempus nascitur, & quidem intra decimum mensem. *Gallus. 29. pr. ibi: in decem mensibus proximis. ff. d. Lib. & posthum. l. quidam. 4. ibi: intra decem mensium spacium, & ibi: intra decem menses. C. de posth. her. inst.* Ille namque communis & extremus legitimæ nativitatis terminus est. Nam post decem menses mortis natus legitimus non est, *arg. l. 3. §. pen. ff. de su. & legit. hered. & quæ undecimo mense perfecto peperit, de defuncto non creditur partum illum sustulisse: neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est. Nov. 39. c. 2. vers. mulier.* Etsi verò longè restrictius patiendi spacium, favor tamen matrimonii in posthumo illud merito extendi suadebat. *arg. l. fin. ff. d. Serv. corrupt. c. ex literis. 4. circa fin. X. d. in integr. rest. c. fin. X. d. sent. & re jud.*

XIII. Regula ergo est, nascendi Posthumi ordinem decem mensibus includi. Et tamen D. Hadrianus, cum fœmina bonis atque honestis moribus undecimo mense post mortem peperisset, causâ cognitâ, requisitis veterum Philosophorum & Medicorum sententiis, decrevit, XI. quoque mense partum edi posse; uti testatur Phavorinus apud *Gell. lib. 3. c. 16.* qui addit: illud de mense undecimo affecto intelligendum, non de perfecto: & ita natum sub finem undecimi justum non esse, sub initium esse. *vid. Gothofr. ad d. N. 39. c. 2. §. 1. arg. d. cap. 2. in princ. ibi. undecimo mense perfecto. Add. Joach. à Beust. in Tract. de matrim. q. Myns. lib. 6. O. 40. n. 4. & II. Sed enim etiam exempla ani-*
mi

nui partus, imo mensis. XIII Exstant. Nam ipse *Gothofredus* no-
ster se audisse ait, apud Parisienses arbitrio Doctissimorum Advo-
catorum, & inter eos *Chappearum Domini*, admissam fuisse vi-
duam, quæ decimo tertio mense peperisset. His autem circum-
stantiis omnes motos, quod vidua apud heredes defuncti mariti
diligentiùs semper spectata vixisset; quod eorum uxoribus
individua semper comes adfuisset, nec ab earum latere quo-
dammodo discessisset, quod heredes ipsius defuncti, nihil ejus
honori vel pudicitiae detraherent; quin potius de solenni
continuoque propter mortem mariti luctu testarentur. *ad. d. §.*
l. N. 39. c. 2.

XIV. Et sanè positis illis circumstantiis summi juris
Antistites communis vulgarisq; partus rationem tanti facien-
dam non esse putarunt, quin *marrona* moribus honestissimis
prædita, (cui nihil quicquam objiceretur aliud, quàm quod
citra vulgarem mulierum morem pareret) audiretur. Hæc
tamen in exemplum facile trahi non oportet, ne per contra-
rium trimestris partus à die nuptiarum contractarum maritis
obtrudatur. *Gothofr. d. l.*

XV. Ridiculi verò sunt illi, qui circa posthumos quæ-
runt: An, si sexto vel octavo mense nascantur, sint legitimi?
Si namque sufficit intra decimum mensem esse natos, quis me-
ritò dubitaverit de partu semestri vel octimestri? Nam & si al-
terâ à morte patris hora nascatur posthumus, intra 10. mensium
spacium natus esse dicetur. *arg. l. ubi lex. 101. d. R. f. l. quod quis. 50.*
ff. de O. & A. Quæ omnia ita demum obtinent, si reliqua sint
paria. Nam si fortè constet de infirmitate vel frigidityte, aliis-
que mariti denati vitiis, contra viduam exceptionem dari, æ-
quitas est. Ita si conceptionis tempus manifestum, rectè quæ-
ri potest de partu posthumo semestri & octimestri. Nam de
septimestri quin legitimus sit, dubitare nos non sinit autoritas
Hippocratis in l. septimo. 12. d. stat. Hom. non solum si septimus
mensis perfectus sit, aut partus dierum 210, *Gothofr. ad d. l. 12.*
mensis enim 30. dierum spacio æstimatur *arg. d. l. 101. D. R. f.*
& l. si venditor 28. junct. l. quod si. 31. §. si quid. 22. ff. d. cedil. Edict. Auth.
Fubemus. C. d. Judic. Nov. 115. c. 2. Myns. lib. 6. obs. 40. in f.) sed et-
iam

iam si post initia septimi mensis nascatur. v. g. post 182. dies.
l. 3. §. f. ibique Gothofr. ff. de su. & legit.

XVI. Partum octimestrem, vitalem non esse communi-
ter creditur, adeoque nec esse legitimum. vid. s. th. 9. *Jul. Clar.*
lib. 3. sent. §. Testamentum q. 45. circa fin. sed affirmativam bene tuen-
tur *Myns. lib. 6. Obs. 40. Gothofr. ad N. 39. c. 2. §. 1. C. J. A. ad tit. d.*
stat. Hom. th. 35. in addit. Hahn. in observ. ad d. t. n. 3. Ph. Hænon. Disp. 2.
q. 4. ad Inst. th. 4. Idem statuendum de nonimestri Gothofr. d. l.
Hænon. d. l. th. 5. minimè vero de semestri. Nam hic, teste Hip-
pocrate vitalis non est. Ita Plinius. Natur. Hist. lib. 7. c. 5. alius in-
quit, septimo mense, alius octavo, & usque ad initia decimi
undecimique, gignitur. Ante septimum mensem haud unquã
vitalis est. Gothofr. ad l. 3. §. f. ff. d. su. & legit. & ad d. N. 39. c. 2.
§. 1. Perito autem cuilibet in arte sua credendum Gothofr. ad d.
§. fin. in fin.

XVII. Et tamen Parisiis anno 1535. cùm filius, ex seeto
matris utero, editus esset quinto mense, & spirare visus, paterq;
instituisset hereditatis petitionem filii, de rebus mobilibus &
maternorum bonorum usufructu, quem leges Municipales
Galliæ patri attribuebant; etsi propinqui matris contra ten-
derent, quinto mense natum, nequisse vitalem ducere spiri-
tum: Senatus patrem filii heredem pronunciavit. vid. *Renat.*
Choppin. d. lib. 3. c. 8. Add. Roder. de Castr. lib. 4. de Natura mulier. c. 2.
circa fin. ubi ex Mercati & aliorum sententia recenset, aliquan-
do robustum infantem etiam 5. mense prodiisse. Et Plin. d. l. 7.
c. 5. in annot. lit. B. quinto mense vitales in Hispania editos fuif-
se scribit Ferdinandus Mena Comm. in l. Hipp. d. septimestri foetu.
Sed quænam ratio, quod partus septimo & decimo mense sint
perfectiores? Varias variorum opiniones recenset *Gothofr. ad d.*
l. septimo. 12. d. stat. hom. l. 3. §. f. d. su. & legit. N. 39. c. 2. §. 1. Hænon.
d. disp. 2. ad Instit. th. 3. in fin. Inter quas magis probanda *Ter-*
tulliani lib. 19. d. Anima. & Ambros. Epist. 39. ad Hierontian. quod se-
ptimestres partus naturam referant ad primam rerum omnium
creatarum hebdomada; decimestres autem honori Decalogi
tribuit *Tertull. d. l. ut tanto numero nascamur, quanto renasci-*
mur ap. Gothofr. ad d. l. 11. & d. N. 39. c. 2. §. 1.

B

XVIII. Et

XVIII. Et hæc omnia Medicorum quoque scholâ hodie-
 num approbantur. Ita namque *Rodericus de Castro*: Constantis-
 sine censemus, septimo duntaxat, nono, & decimo mense, le-
 gitimum edi fœtum, quicumque vero temporius, aut ferius in
 viri absentia, in lucem veniunt; supposititios & illegitimos esse,
 & paulo post. Subit mirari quorundam tam Medicorum, quam
 Theologorum nostri temporis audaciam, quod pretio haut du-
 bie ducti, ni fatui omnino fuissent, ausi sunt è suggestu pro mi-
 raculosis prodigiisque prædicare partus quarti mensis. *lib. 4.*
de offic. Medico-Polit. c. 13. in f. Quanquam alibi plenius rem tra-
 ctet. *vid. lib. 4. d. Natura Mul. c. 2. & seqq.*

XIX. Tantum de iis, quæ ad constitutionem posthumi
 videbantur pertinere. *Jus* autem quod ipsi tributum est, spe-
 ctatur ante nativitatem, in nativitate, post nativitatem. *Ante*
nativitatem, posthumi ubi de eorum commodis agitur, pro natis
 habentur; *arg. l. qui in utero. 7. l. pen. ff. d. stat. Hom. l. 2. §. qui autem.*
6. ff. de Excusat. §. pen. Inst. d. tutelis. l. vel si. 7. ff. d. su. & legit. l. ubi-
cunque. 7. pr. ff. de ventr. in poss. mitt. l. cum quidam. 30. §. 1. ff. de acqui-
rend. hered. l. quod dicimus. 231. ff. d. V. S. Et si enim fœtus in utero
 animatus pro homine reputetur. *arg. l. Cicero. 39. ff. d. pæn. can.*
consuluit. 21. circ. f. caus. 2. q. 5. can. quod verò. 8. & seq. ca. 22. q. 2. ta-
tamen non rectè dicitur homo, antequam sit editus. l. in Falcidia. 9.
ff. ad L. Falcid. Partus enim antequam edatur, mulieris portio
 est vel viscerum. *l. 1. §. 1. ff. de vent. insp. & quia plurima con-*
tingere queunt, quæ nativitatem lucisq; usuram impediunt.
arg. l. 1. §. f. & l. 3. pr. ff. si pars. hered. ideo qui prægnantem hu-
 mat uxorem, antequam partus ei excidatur, spem animantis
 peremisse videtur. *l. 2. ff. d. mort. infer.*

XX. In plurimis autem videre licet de posthumi com-
 modis agi; v. g. si ei tutor detur. *arg. §. f. J. qui test. tut. si heres in-*
stituatur. l. Gallus. 29. ff. d. Lib. & posth. §. posthumus. 28. J. d. Leg.
Si illi aliquid legetur. §. posthumus. 26. J. d. t. Quin imò qui in
 utero sunt, in toto penè jure civ. intelligantur in rerum natura
 esse. Nam & legitimæ hereditates his restituantur; & si præ-
 gnans mulier ab hostibus capta sit, id quod natum erit, postli-
 minium habet; item patris vel matris conditionem sequitur:
 Præ-

Præterea si ancilla prægnans surrepta fuerit, quamvis apud b. f. emptorem pepererit, id quod natum erit, tanquam furtivum, usu non capitur. His consequens est, ut libertus quoque, quamdiu patroni filius nasci possit, eo jure sit, quo sunt, qui patronos habent; uti summam recenset Julianus in l. pen. ff. d. stat. hom.

XXI. Et sanè, quæ omnem fictionem absolvit, hinc quoque insigniter militat æquitas. Nisi enim partus nondum natus pro nato haberetur, sequioris esset conditionis quam liberi jam nati, sine ulla sua culpa, & ita quasi ante vitam necaretur, qui tamen victurus sperabatur. arg. l. i. §. sed etsi. 9. ff. d. vent. in poss. mitt. cum tamen æquè, imò magis portio viscerum maternorum sit, quam illi. d. l. i. §. l. ff. d. inspic. vent. quinimò tanto majori favore dignus, quanto majoribus periculis & casibus, propter incertum nativitatis eventum, sit obnoxius. arg. l. i. §. & generaliter. 15. ff. d. vent. in poss. mitt. Ad curam verò publicam Legislatoris, partuum quoque custodiam pertinere, Pomponius docet, arg. l. i. ff. solut. matr. Neque enim solum parentibus, quorum sunt, verum etiam Reipublicæ nascuntur. d. l. i. §. 10. in f. fac. l. postliminium. 19. §. filius. 7. ff. de captiv. & postlim. revers.

XXII. Et hinc, ut apud omnes gentes moratiores, ita certè apud Romanos & præmiis conjugia provocata, & pœnis cœlibat⁹ & orbitas coërcita. Nā Lex Papia Poppæa anno U. C. 761. Consulibus M. Papio Mutilo, & C. Poppæo Sabino lata, quæ Legis Juliæ de maritandis ordinibus & L. Miscellæ, capita confirmavit; De orbis quidem constituit, ut si à conjugibus testamento honorati essent, decimam tantum partem, si ab alio cive Romano, semissem caperent; reliquum caducum fieret, nisi jus liberorum consecuti essent à Principe; aut vir vel annis 25. minor, vel major 60. aut fœmina minor 20. & major 50. annis esset, aut nisi genere proximi legitimam libertatem essent habituri. Si ex alio matrimonio liberi superstites essent, orbis conjugibus alia decima addebatur; uti etiam, si communis filius, filiave, post nonum diem amissus, amissave; si duo post nonum diem amissi; duæ decimæ addebantur. Cœlibes autem iisdem pœnis subiciebantur; quin imò ex legitima hereditate deci-

nam partem ærario inferre tenebantur ; si verò intra centesimum diem à delatæ hereditatis die, legi parerent, illis fraudi non erat. *vid. Ulp. in fragm. tit. 13. & seqq. Gædd. ad l. spadonum, 128. num. 1. d. V. S.*

XXIII. Præmia verò eadem L. Papia Poppæa iis, qui liberos suscepissent, conferebat ; & quidem, ut priori ex consulis fasces sumendi potestas esset, non qui plures annos esset natus, sed qui plures liberos, quàm Collega, aut haberet, aut bello amisisset ; ut numerus liberorum in Candidatis præpolleret ; ut unus filius filiave prodesset ad effugiendam orbitatis pœnam ; duo filii filiave vacationem liberto præberent à doni, muneris, operæ obligatione ; tres eidem centenatio ad excludendum patronum à successione ; ut quatuor libertam à tutela patroni liberarent ; ut filiabus patronorum trium liberorum jus habentibus, jus in libertorum paternorum bona esset : Ut patronæ, trium liberorum jus habentis, liberi jus itemque patronatus haberent : ut jusjurandum liberto impositum, ne uxorem ducat, remitteretur : ut conjugi, quæ sub ea conditione, si secundo non nuberet, instituta vel legato exornata conditio remitteretur, si juraret, se prolis studio nubere velle : Ut Latini liberti filio filiaque nato, natave anniculo anniculaque facta factave jus Quiritium consequerentur. *vid. Ulp. tit. 2. §. 2. Gædd. d. l.*

XXIV. Quorum omnium plurima adhuc in jure nostro vestigia. Ita ob eandem causam, qui liberos, quos habebant in potestate, si, uti diximus, annum 20. vel 25. excessissent, injuria prohibuerint vel nubere vel ducere uxores, per magistratum cogebantur eosdem in matrimonio collocare & dotare *l. capite. 19. ff. D. R. N. Ulp. in fragm. tit. 16. Qui Romæ 3. in Italia 4. in Provinciis 5. superstites, aut in acie mortuos habebat liberos, ab onere tutelæ immuniserat. pr. Inst. de Excus. tut. l. 2. §. 2. 3. & 4. l. bello 18. ff. eod. uti à ceteris muneribus personalibus. arg. d. pr. l. 2. §. 1. ff. d. vacat. mun. Nam à patrimonialibus demum numerus XVI. liberorum immunitatem dabat. arg. l. semper. 5. §. 2. ff. de jur. Immunit. Neque olim aliter liberis ab intestato succedere poterat mater, nisi ingenua jus trium liberorum, libertina quatuor, haberent. §. 2. circ. pr. & §. 4. in f. Inst. de Scit. Tertyll.*

XXV. At

XXV. At enim, quæ ratio fictionem illam nondum nato-
 rum induxit, eadem in certis casibus induci eandem prohibuit.
 Non etenim locum habet, ubi de aliorum commodis agitur. *l. qui
 in utero. 7. ff. d. stat. hom.* Nam ne patri quidem partus, qui in ute-
 ro matris est, ad exclusionem tutelæ proderit; uti neque in reli-
 quis muneribus civilibus *l. 2. §. qui autem 6. ff. d. Excusat.* quanquam
 pater & filius penè una personâ, unumque corpus sint *l. fin. circ.
 fin. C. de impub. & al. substit. l. cum scimus. 22. §. 1. circ. fin. C. d. agric. &
 censit. can. contradicimus. 21. §. hac autoritate. caus. 35. q. 3. & can. jam
 itaque 8. Caus. 1. q. 4.* Sed annon partus matri prodest, quippe
 quæ, quamdiu prægnans est, neque quæstioni subicitur, neque
 pœna capitis afficitur *l. 3. ff. d. pœn. l. Imperator. 18. ff. d. stat. hom.*
 etiamsi prægnans sit per unum diem vel in ipsa custodia aut car-
 cere prægnans facta? *Gothofr. ad d. l. 3.* Ita quidem. Id namque
 ipsius partus favor maximè requirit, ne scilicet, ut innocens dam-
 netur, contra *l. absentem 5. ff. d. t. depœn.* aut, ne quasi ante vitam ne-
 cetur *l. 1. §. sed etsi. ff. d. vent. in poss. mitt.* Unde idem & aliis gentibus
 præter Romanos meritò obleratum. *Gothofr. d. l.* Ita si ventris
 nomine mulier missa sit in possessionem, si adulterii accusetur,
 differendum est iudicium, ne quod præiudicium fiat nato *l. si ven-
 tris. 8. ff. d. vent. in poss. mitt.* Ex eadem causa neque vectura neque
 naulum ventris nomine debetur. *arg. l. sed adde. 19. §. sed si quis 7.
 ff. locati. Goth. ad l. 1. in pr. ff. d. vent. in poss. mitt.* Ita mater ex ead. cuius
 paulò antè mentionem fecimus *L. Papia Poppæa*, si post mortem
 viri intra 10. menses ex eo peperit, solidum ex bonis ejus capit *Ulp.
 fragm. d. t. 16. in f. pr.* nam & hic quoque favor partus conspicitur.

XXVI. Ex eodem fonte Lex Regia, non illa, quæ de Im-
 perio sub tempus Augusti, sed antiquissima, aut forte sub Nu-
 ma Pompilio lata, vetat mulierem, quæ prægnans moritur, hu-
 mati, antequam ei partus excidatur: qui contrafecerit, spem ani-
 mantis cum gravida peremisse videri *l. 2. ibiq. Goth. ff. de mort. infer.*
 Hinc Casones sive Casares, qui mortuis matribus execti; Uti
 Scipio Africanus, Julius Cæsar *Gothofr. ad l. posthumus 6. in pr. ff. de
 inoff. test.* Memorabile namque partus adhuc viventis, matre li-
 cet mortuâ, suppeditare potest exemplum Gorgias Epirota; de
 quo *Val. Max. Gorgiæ*, inquit Epirotæ fortis viri clara fuit origo,



quoniam in matris utero elapsus, inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgit, novumque spectaculum patriæ præbuit, tantum non ex ipso genitricis rogo lucem & curas assecutus. Eodem enim momento temporis, altera jam fato functa parit, alter antè elatus, quam natus est. *lib. 1. cap. 8. in Extern. n. 5.*

XXVII. Equidem princeps causa horum omnium que de posthumis constituta sunt, ad similitudinem filiorum refertur. *arg. l. 3. pr. ff. d. in just. rupt.* Idem namque in posthumis quod in filiis servandum, nec ratio diversitatis reddi poterat. *d. l. 3. §. 2.* Quare si quis filiabus vel filius suis tutores dederit, etiam posthumis videtur dedisse, cum filiorum appellatione etiam posthumi contineantur. *l. Si quis s. ff. d. Test. tut. §. fin. Inst. qui Testam. tut. modo (1.)* quis dederit, qui in ea causa sunt, ut si vivo eo fuerint nati, in potestate ejus sint futuri; neque post mortem dantis, in patris sui potestatem recasuri. *l. 1. §. 1. & 2. ff. d. t. de testam. tut.* Patria namque potestas utpote res inæstimabilis. *l. filius s. l. 114. §. sed si 8. ff. d. leg. 1.* ne à milite quidem per dationem tutoris impediri potest. *arg. leg. 2. ff. d. Testam. tut. (2.)* Testamento id fecerit, *§. 3. Inst. d. tutel. l. 1. pr. ff. de testam. tut. leg. 1. §. 1. ff. de confirm. tut.* Tutores autem testamento datos accipere debemus etiam eos, qui Codicillis testamento confirmatis scripti sunt. *l. 3. ff. eod.* Neque verò testamento datus posthumo tutor talis est, nisi posthumus edatur; si tamen ante partum quid gesserit; actio negotiorum gestorum contra ipsum competit, si forte remotus à tutela fuerit, antequam quid gesserit ut tutor. Nam alias tutelæ iudicio tenebitur, etiam de eo, quod ante partum gessit. *l. si nemo 19. §. fin. ibique Gothofr. ff. d. testam. tutel.*

XXVIII. Si tamen à patre tutor scriptus est aut non iusto testamento, aut non, ut lege præcipiebatur; confirmandus est ad tutelam gerendam. *l. 3. ff. de confirm. tut. l. 2. C. eod. §. fin. Inst. d. tutel.* Ita mulier quidem non rectè testamento tutorem dat, si tamen dederit Decreto prætoris, vel Proconsulis ex inquisitione confirmabitur. *l. 2. pr. ff. de conf. tut. l. 1. C. eod. l. mater. 4. C. d. test. tutel.* Hodiè nemo non ex tutoribus à Magistratu confirmandus est. Neque enim administrationem suscipere potest, antequam illa eid. publica autoritate decernatur. *Reformat. Polit. d. Anno 1548.*

iii,

iii. Von der Pupillen und minderjährigen Kindern Tutoren und Vormündern zu. *ibi.* Daß auch ein jeglicher Vormünder / er sey gleich Testaments / weiß verordnet / oder durch Recht oder Richter gegeben sich der Vormundschaft nicht unterziehen soll / die Verwaltung sey ihm dann zuvor durch die Oberkeit decernirt und befohlen; Si verò persona immediate Imperio subiecta, datio & confirmatio ad Cameram spectat, *Gail. i. Obs. i. n. 47.* vel etiam ad Imperatorem. *arg. R. Abscheid zu Speyr de Anno 1570. § was damit 40. ibi:* auch ferner uns gnädiglich erbotten / gemeldten Söhnen etliche Vormünder und dann Commissarien zu verordnen.

XXIX. In primis verò jura posthumorù spectantur in successio- nibus tam extestamento, quàm ab intestato. Nam plures modi jure civili non dantur. . §. *fin. inst. Per quas person. l. i. & seqq. ff. de petit. hered.* Quin verò extraneus posthumus heres institui possit, omnidubio videtur carere. *arg. §. in extraneis 4. vers. fin. Inst. d. hered. qual. & dif. l. pen. ff. d. leg. i.* Et tanè suaves sunt, qui eos demum postumos institui posse censent, qui in utero ejus sint, quæ jure civili uxor esse possit. *arg. §. posthumus. 28. Inst. d. leg. l. si quis. §. 1. & 3. & 4. ff. de lib. & posthum.* Neque enim de posthumis extraneis illi textus intelligendi, sed de iis, quos ut liberos nostros instituimus, uci rectè *Gl. ad d. l. 9 vid. infr. thes. 40. 56.*

XXX. In liberis autem posthumis major difficultas. Commodissimè autem is, qui nondum natus est, heres ita instituitur: *sive vivo me, sive mortuo me natus fuerit, heres esto:* aut etiam purè, neutrius temporis habita mentione. Nam si alteruter casus omissus fuerit, natus eo casu, qui omissus est, rumpit testamentum. *l. commodissimè. 10. ff. d. lib. & posth. & ibi. Goth. ubi diligenter hoc à Notariis observandam esse monet. fac. l. si ita. 47. §. 1. ff. d. hered. inst. l. ult. C. d. posth. hered. inst.* Et in vetere quidem juris prudentia posthumus institui posse heres non videbatur. Nam aliàs non opus fuisset, id demum per formulam Aquilianam introduci. *arg. l. Gallus. 29. ff. d. lib. & posth. d. l. pen. ff. d. l. 2.* Nullo namque jure olim institui poterat, qui nondum erat natus. *d. l. 29. §. pen. ff. d. lib. & posth.* Ratio procul dubio hæc est, quod

quod posthumus incerta persona; qualis olim testamenti factio-
nem non habebat; cum certum debeat esse consilium testantis.
Ulp. in fragm. tit. 22. §. 3. junct. §. incertis. 25. & seqq. Inst. de legat.

XXXI. Cum igitur Romani veteres filios solerent suos
nominatim instituere. *arg. d. t. 22. §. nepotes 10. apud. Ulp. in fragm.*
Sapissime accidit, ut cum post testamentum conditum alii liberi
illis nascerentur, testamenta eorum corruerent. Caput enim &
fundamentum Testamenti est heredis Institutio §. ante 24. *Inst. d.*
leg. l. 1. ff. d. hered. Instit. l. 1. in f. ff. d. vulg. & pup. substit. l. quod per. 10.
l. fin. ff. d. jur. Codicill. & inter cætera quæ ad ordinanda testamenta
necessariò desiderantur, peculiare jus est de liberis heredib⁹ insti-
tuendis, vel exheredandis l. inter. 30. ff. d. lib. & post. Et quidem olim,
siquis filium in potestate existentem silentio præterisset, inutili-
ter testabatur pr. Inst. exher. lib. d. l. 30. d. lib. & posth. neque enim
Testator ob paternum affectum, qui omnes vincit. l. cum furio-
sus. 7. C. d. Curat. Fur. fac. l. isti quidem. 8. in f. ff. quod met. caus. credi
poterat liberos suo jure velle privare, qui se vivo quodam modo
domini existimantur l. in suis 11. ff. d. & lib. & post. §. 2. vers. sui autem.
Inst. d. hered. qual. & diff. §. 3. J. d. hered. quæ ab intest. Et quanquam
in filiabus aliisque liberis ulteriorum graduum differentia quæ-
dam (quod jus suitatis in hisce spectari non possit, utpote non in
gradu proximo existentibus. arg. d. §. 2. in pr. inst. de hered. qual. &
diff. tum etiam quod vetustas masculos plus diligeret. arg. §. item.
15. Inst. d. hered. quæ ab intest.) tamen si præteriti fuissent jure accres-
cendi cum scriptis heredibus succedebant. pr. J. d. Exhered. lib.
Ulp. d. t. 22. §. ex suis. 14. vel pro exheredatis habebantur, si illis
aliquid relictum esset, ne per oblivionem præteritæ viderentur.
§. 1. vers. ad fæminini. Inst. d. t. Ulpian. d. l. §. posthumus. 17. & seq.

XXXII. Itaq; Gallus Aqnilius vir magnæ autoritatis & sci-
entia juris civilis excellens, teste *Val. Max. lib. 8. c. 2. n. 2.* de quo
plura *apud Cic. in Bruto. in Topicis, in Orat. pro A. Cæcinnæ.* primus for-
mulam invenisse putatur, qua etiam posthumi una cum liberis
jam natis instituti judicarentur. *arg. l. pen. ff. d. leg. 1. v. g. Quis-*
quis mihi filius natus erit, heres esto; aut: Quisquis mihi filius
unus pluresve natus erit, heres esto, sive illi primo gradu conti-
nerentur, Goth. ad l. commodissime. 10. ff. d. lib. & posth. & ad l. si ita.

47. §. 1.

47. §. 1. ff. d. hered. instit. sive secundo, v. g. Filius meus heres esto, si is vivo me moriatur, tunc qui ex eo nepos intra 10. menses à morte patris natus erit, heres esto. l. Gallus. 29. pr. ff. d. lib. & posth. l. si mater. 33. §. 1. ff. d. vulg. & pup. substit.

XXXIII. Hanc Aquilii formulam non aded reprehendit Scavola, uti putant nonnulli ad d. l. 29. sed potius explicat ob paritatem rationis. Quis enim negaverit, idem obtinere, si mortuo filio & nepote pronepos, & ita deinceps posthumus erit natus? arg. d. l. 29. §. 2. & seq. Quis negabit, idem obtinere, si filius vel nepos civiliter moriantur? arg. d. l. 29. §. 5. Nam & media capitis diminutione homines intereunt l. verum est. 63. §. fin. ff. pro socio. Quin imò si filius vel nepos sint emancipati, & ita jura suitatis amittant, nepos autem vel pronepos &c. tunc illud suscipiant; hunc quoq; casum inducere voluisse Aquilius censendus est. arg. d. §. 5. circ. fin. Sed & propter fictionem L. Corneliae, cum filius in captivitate vivo patre decedens primo momento captivitatis decessisse videatur. l. Lege. 12. ff. qui Test. fac. poss. non immeritò quoque hic casus comprehensus. arg. d. l. 29. §. 6.

XXXIV. Plenius itaq; ne posthumus rumpat testamentum, institutio fieri poterit. *Quicquid mihi liberorum natum erit post mortem;* aut: *Quicumque natus fuerit, sit institutus, si suus nascetur.* d. §. 6. in f. Neque enim de morte filii necessariò exprimendum. d. l. 29. §. 1. sed sufficit, si ita instituat: *instituo filium & ex eo nepotem.* Nam ita verbum instituendi ad filium relatum propriè, ad nepotem, pro substituere sumitur Gothofr. ad d. §. 1. Quid, si nurus pragnans sit & apud hostes; & avus filium & ex eo nepotem instituat; qui nascatur illis viventibus, sed mortuis ex captivitate redeat, an rumpet testamentum? Minimè. arg. d. l. 29. §. 7. ff. de lib. & posth. Reversus enim se institutum esse ab avo deprehendit; quippe cum ap. hostes susceptus, si postliminiò redierit, filii jura habeat. l. apud. 9. ff. d. captiv. Nam si non redierit, tum demum rectè præteriri poterit. arg. l. pen. ff. d. lib. & posth. d. l. 29. §. 10. ff. eod.

XXXV. Occurrit alia Quæstio: *Cajus instituit Titium filium, cujus uxor pragnans; nepotè hunc futurum præterit, & si filius mortuus fuerit, pronepotè substituit.* Q. si nepos nascatur patre vivente, & decedat ante eum relicta viduâ pragnante, an pronepos avo mortuo à proavo videatur esse institutus? Affirm. d. l. 29. §. 8. Et si enim nepos videatur

tur

tur præteritus, quia tamen ante patrem decessit, suus non fuit
avo. Multo minus rumpet testamentum pronepos, qui vivis ascen-
dentibus est natus sed post testamentum proavi. Nam ex institu-
tione admittetur æquè, uti extraneus institutus, & postea in lo-
cum pronepotis adoptatus, admittitur ad successionem proavi.
d. l. 29. §. ergo. 9. ff. d. lib. & posth. l. filio. 23. §. 1. ff. eod.

XXXVI. Tantum de Posthumo Aquiliano. sed & l. Velleja
multos casus rumpendi testamentum abstulit. *d. l. 29. §. quid si. 6.
vers. & melius* Uti enim Galli consilium de veris posthumis post
obitum testantium natis, ita Velleja præcavere voluit, ne qui
posthumorum loco essent, & jam vivis testatoribus nati, rumpe-
rent testamenta. *d. l. 29. §. Nunc. 11.* Et ejus primum quidem ca-
put agit de nepote instituendo, sive filius jam præmortuus sit ante
testamentum, sive demum ante nativitatem nepotis. Nam ita
quidem primò filius instituendus est & substituendus nepos vivo
avo nasciturus; cum priore casu filium institui necesse non sit.
l. 29. §. & videtur. 12. ff. de lib. posth. Alterum caput docet, si uterque
jam tempore testamenti sit natus, nepotem esse substituendum fi-
lio ne testamentum eo præterito rumpatur. *d. l. 29. §. etiam. 13. d.
lib. & posth. §. 2. Inst. de exhered. lib.* Quod & in pronepotibus aliis-
que deinceps suo modo obtinere poterit, quoties nimirum quis
ex suis heredibus suus heres esse desierit. *d. §. 13.*

XXXVII. Ponamus filium esse apud hostes, nepotem ex eo
ab avo institutum, an rumpetur testamentum, si filius post mortem
patris in captivitate decedat quasi præteritus? Neg. *d. l. 29. §. vi-
dendum. 14. de lib. & posth.* Fingit enim l. Cornelia eundem filium
ante patrem decessisse eo momento, quo in potestatem hostium
pervenerat. *arg. d. l. 12. ff. qui test. fac. poss.* Unde si quis testamento
heredes scripserit, & postea apud hostes decesserit, nato filio sta-
tim rumpitur testamentum, ex quo decedens in potestate hostium
fuit. *l. qui uxorem. 15. ff. d. injust. rupt.* Et hunc posthumum quidam
Cornelianum appellant, uti superiorem Vellejanum.

XXXVIII. Enimvero hic casus in difficili, si quis cum filio ne-
potem instituat nasciturum, qui nascatur patre vivo, sed statim
decedente, an rumpat testamentum avi? Neq; enim ex formu-
la Aquiliana videtur institutus, cum vivo patre sit natus; neq; ex
3. capite l. Vellejæ, cum tempore, quo natus est, non fuerit suus
heres;

heres; neq; ex 2. quippe quod loquitur de jam natis, qui in locum patris succedunt, non vero de nascituris. Dicendum tamen ex Juliani sententia non rumpi testamentum. Nam tacitè hoc quoq; L. Velleja operatur, cum de utroq; capite casus noster videatur participare. *arg. d. l. 29. §. ille casus. & seq. ff. d. posth.* Et si enim singula capita seorsim casum nostrum non complectantur, conjunctim tamen sumpta non excludunt. Nam 1. capiti convenit, quod instituat nasciturus; & 2. quia agitur, de nepote, qui filio vivo nascitur, & in morientis locum suus heres fit *Gl. ad d. §. 15.* Et tantum de Posthumo Juliano. Linquamus legem illam *Gallus*; quæ & re & famâ quidem difficilis esse videtur, sed Advocatis parum lucrosa. uti *Dd.* notant, & ad alia progrediamur, expeditiora & magis utilia.

XXXIX. Institui potest posthumus heres, non solum qui ex presente matrimonio speratur, sed etiam qui ex futuro. *l. placet. 4. & seq. ff. de lib. & posth. l. posthumum. 27. ff. eod. & l. seq. §. 3.* non semper, ut heres fiat, sed saltem ut testamentum subsistat & prius fortè rumpatur. Nam posterius testamentum rumpit prius, etiamsi ex illo nemo heres existat. *§. 2. Inst. quib. mod. test. infir.* Itaq; si per adoptionem sororem factam habeam, potero posthumum ex ea heredem instituire, quia adoptione soluta possum eam ducere uxorem. *l. si quis. 9. §. fin. ff. d. lib. & posth.* Et rumpitur quoq; testamentum, si quis posthumos instituat, quos per ætatem aut valetudinem fortè habere non potest. *d. l. 9. pr. l. sed est. 6. pr. ff. eod.* Nam natura magis in homine generandi, & consuetudo spectanda, quàm temporale vitium aut valetudo, propter quam homo abducatur à generandi facultate. *d. l. 9. pr.* Sed si ex ea, quæ alii nupta sit, posthumum heredem suum instituerit, ipso jure non valet; quod turpis sit institutio. *d. l. 9. §. 1. quin imò si ex ea, quam nefas sit ducere; non rumpetur testamentum. d. l. 9. §. pen. fac. §. Posthumus. 28. Inst. d. Leg. neq; si castratus posthumum heredem instituat aut si hermaphroditus; nisi tamen virilia in eo prævaleant. d. l. 6. in f. ff. de lib. & posth.*

XL. Uti autem posthumus præteritus rumpit testamentum, idq; totum infirmit, *§. 1. Inst. d. exher. lib.* Sustinebiturne illud propter clausulam Codicillarem, ita ut hereditas tanquam ex fideicommissio peti possit? Equidem si testator sciverit, uxorem esse

esse pragnantem, affirmativa extra omnem aleam posita esse videtur. *arg. l. qui gravi. II. & l. seq. l. is qui. 19 ff. d. jur. Codicill. l. cum pater. 77. §. cum existimaret. 29. ff. d. leg. 2.* Nam si ignoraverit, posthumum onerasse non præsimitur, & heredem magis dilexisse, præsertim cum illa clausula magis ex consuetudine quadam Notariorum, quàm peritè vel ex testatoris voluntate aut dispositione apponatur testamenti, cujus efficaciam neque ipsi Notarii, neque etiam Testatores plerumque intelligunt. *Gail. lib. 2. O. 114. n. 9.* Quod si tamen posthumus præteritus, & vivo testatore natus decesserit, licet juris scrupulositate, nimiaq; subtilitate testamentum ruptum videatur, tamen heres scriptus bonorum possessionem, secundum tabb. accipere poterit. *l. posthumus. 12. pr. ff. d. injust. rupt. & irrit. test.*

XLI. Atque ita jure civ. posthumus, qui suus heres futurus est, ne rumpat testamentum, instituendus est, si tamen nominatim exheredetur testamentum subsistit. *d. §. 1. Inst. d. Exher. lib.* Nam quia *L. 12. tabb. patribusfam.* latissima potestas tribuebatur legandi pro lubitu. *arg. l. verbis. 120. ff. de V. S. junct. l. 1. pr. ff. d. Test. tut.* exheredandi quoque jus concessum videtur. Ne tamen facultas illa nimis extenderetur, interpretatione LL. vel auctoritate jura constituentium merito coangustata est, *d. l. 120.* neq; aliter exheredatio valuit, quam si ex justa causa facta esset. Cum enim naturalis ratio, quasi Lex quadam tacita, liberis parentum hereditatem addicat, velut ad debitam successionem eos vocando, æquissimum erat, ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis, eosdem ab illius successione summoverti. *l. cum ratio. 7. pr. ff. d. bon. damn. l. pen. §. 2. ibique. Goth. ff. d. curat. furios.* Unde nisi filius præteritus vel exheredatus judicio parentis acquiescat. *arg. l. filio. 17 ff. d. injust. rupt.* vel bonorum possessio contra tabb. competit. *arg. §. 1. Inst. d. B. P. l. 1. pr. & §. 2. ff. d. B. P. C. T.* vel querela inofficiosa. *pr. Inst. de inoff. test.*

XLII. Hodie vero sublata omni, circa liberorum institutionem & exheredationem, & sunitatis & sexus differentiâ, non aliter exheredatio vel præteritio rata est, quàm si ex certa ingratitude causa fiat, quæ intestamento à testatore designanda, & ab herede postmodum probanda, *N. 115. c. 3.* Quod si factum non fuerit, testamentum nullum liberis quoad institutionem præju-

præjudicium generat; salvis tamen legatis, fidei commissis, libertatibus, & tutorum dationibus, vel quibuslibet aliis capitulis; quippe quæ omnia adimpleri debent & dari, quibus fuerint relicta. *d. c. 3. inf.* Cum ergo in infantes, aliosque impuberes doli nondum capaces. *arg. l. pupillum 111. ff. d. R. J.* ingratitude vitium non cadat, nequidem hodie præteriri aut exheredari poterunt, multo minus posthumi: Satis enim crudele videtur, eum qui non sentit, ingratum existimari. *l. si quis 33. in f. C. d. inoff. test.* sed nec olim eosdem exheredari cum effectu potuisse palam est ex *d. l. 7. pr. ff. de bon. damn. d. l. pen. §. 2. ff. d. curat. furios.*

XLIII. Intelligenda autem *d. N.* est de Exheredatione, quæ cum injuria exheredatorum conjuncta est. *arg. d. N. 115. c. 5. pr.* Hæc enim malâ mente fit, & notæ atque injuriæ quædam species est. *arg. l. 1. §. sed & 5. ibique Gothofr. ff. d. assign. libert. l. non putavit. 8. pr. ff. d. B. P. C. T. l. si patronus. 12. §. 2. l. Paulus. 47. pr. ff. d. bon. libert. l. cum te. 18. C. d. inoff. test.* Secus ergo est, si qui non notæ causa liberos exheredent, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant, utpote impuberibus, eisque fidei commissò hereditatem dent. *l. multi. 18. ff. d. lib. & post* aut si quis filium prodigum exheredem scribit & nepotes instituit, eidemque quod sufficiat, alimentorum nomine legat. *arg. d. l. pen. §. 2. ibique Gothofr. ff. d. Cur. fur.* Idem, si filius sit furiosus. *d. l. 12. §. 2. ff. d. bon. libert.* Si quis instituat uxorem addatque, non dubitare se, quodcunque uxor cepisset, liberis reddituram. Nam his verbis fidei commissum continetur; neque honor bene transacti matrimonii, & fides communium liberorum patrem decipere debet. *arg. l. unum. 67. §. fin. & l. seq. ff. d. leg. 2. facit. l. avia. 77. §. 3. ff. d. condit. & demonstr. l. qui filium. 74. §. 1. ad Sct. Treb.* Quo casu bona cum fructibus bonâ fide perceptis, restituenda sunt, ex tacita testatoris voluntate; qui lubrico tutelæ fidei commissi remedium videtur prætulisse & tantum cavere voluisse, ne bona tutoribus, sed potius necessitudini vel amicitia committerentur. *arg. l. 3. §. 3. ff. de usur.*

XLIV. Satis hætenus de institutione posthumorum, quin autem ab intestato æquè ut alii hodie succedant, nemo ambigit. *arg. N. 118. c. 1.* Nihil namque interest, utrum filius respectu successionis paternæ jam natus sit, utrum verò tantum conceptus & demum post mortem natus. *arg. l. 1. §. sciendum. 8. inf. & §. fin.*



ff. d. su. & legit. Nam conceptus quodammodo in rerum natura esse existimatur. *l. vel si. 7. ff. d. su. & legit.* Unde & avo posthumus nepos succedit, qui tempore mortis fuerit conceptus. *S. & licet. 8. in pr. Inst. de hered. que ab int. l. si quis. 6. pr. vers. plane. ff. de in just. rupt. & irrit.* At si conceptus & natus sit post mortem avi, mortuo patre suo, desertoque postea avi testamento suus heres avo non existit, cum nullo jure cognationis patrem sui patris attigerit. *d. §. 8. vers. plane Inst. de hered. que ab intest. d. l. 6. in f. pr. ff. d. in just. rupt.* Lex n. r. tabb. eum vocat ad hereditatem, qui moriente eo, de cuius bonis quaeritur, in rerum natura fuerit. *l. Titius. 6. in f. ff. d. suis & leg. l. 1. §. si quis. 8. in fin. ff. und. cognat.* Praetor autem edicto suo proximitatis nomine bonorum possessionem pollicetur his, qui defuncto mortis tempore cognati fuerint: Nam quod ex consuetudine nepotes isti cognati appellantur per abusionem fit. *l. item praetor. 8. pr. ff. d. suis & leg.* Aequitate tamen suadente neque olim ante jus Novellarum videbatur ab omni successione esse excludendus. *arg. l. Paulus 47. §. 3. ff. de bon. libert. Fac. l. si quis. 34. C. d. inoff. test.*

LXV. Maxima vero sollicitudo est in custodiendo ventre, si mulier post mortem viri praegnantem se esse denunciet; ne forte falsus partus subjiciatur. *arg. l. 1. pr. ff. d. agn. & alend. lib. l. qui falsam. 19. §. 1. l. leg. 30. §. 1. ff. ad l. Cornel. d. fals. l. 1. l. cum supposito. 10. C. eod.* Adeo grave namque delictum est, ut nulla temporis praescriptione depellatur. *d. l. 19. §. 1.* quanquam alias caetera fere crimina 20. annorum exceptione excludantur. *l. querela. 12. C. d. t. ad l. Cornel. de fals. ibique Gothofr.* Publicè enim interest, partus non subjici, ut ordinum dignitas familiarumque salva sit. *l. 1. §. sed etsi. 13. ff. de ventr. inspic. ibique Goth.* ubi varia eorum refert exempla, qui infimo loco nati, mendacio se clarissimis familiis inserere conati sunt. *Add. Val. Max. lib. 9. c. 15.*

XLVI. Jubet ergò jus nostrum, ut mulier quæ mortuo marito praegnantem se esse dicit, illud denunciet his, quos proxima spes successionis contingit, ut puta primo gradu heredum instituto, non etiam substituto, & si intestatus paterfamilias sit, his qui primum locum ab intestato tenent; si vero plures sint simul sueccssuri, omnibus denunciandum est. *l. 1. §. de inspiciendo. 10. & §. denunciari. 14. ff. de vent. inspic. l. 3. ff. eod.* Bis autem

autem in mense denunciandum mulier prægnans curet iis, ad quos res ista pertinebit, procuratorive eorum, ut mittant, si velint, quæ ventrem inspiciant mulieres liberas duntaxat, & numero quinque; quibus præsentibus in domo honestissimæ cujusdam foeminae partum enitatur, omnisque adeo subjecti partus suspicio removeatur. *d. l. i. §. 10.* ubi plura adhuc Romanorum curiositatem abundè demonstrantia videre licet. Quæ omnia nisi eo, quo Prætor edixit, modo observata fuerint, causâ cognitâ B. P. ex Edicto Carboniano ei quod natum erit, interdum denegatur. *d. §. 10.* Quod si tamen ex his, quæ Prætor servari voluit, aliquid per rusticitatem fuerit omissum, id partui obesse non debet. Quale est enim, si quid ex his, quæ leviter observanda Prætor edixit, non sit factum, partui denegari bonorum possessionem? *d. l. i. §. fin.*

XLVII. Neque solum Romanos hæc cura custodiendi ventris torfit, sed hodiernum videre est, eandem in bene constitutis Rebusp. vigere. Unde apposite J. Crus, morem hic regionis inspiciendum & secundum eum & observari ventrem, & partum & in'antem oportere *in d. l. i. in f. ff. d. inspic. ventr.* Henricus VI. Imp. eum constantiam quinquagenariam, Regni Neapolitani heredem duxisset, ne suspicio esset, eam quasi uterum mentitam, partum supposituisse, in medio foro, vel ut alii volunt, in Ecclesiæ Panormitanæ vestibulo Fridericum II. Casarem spectante populo enixa est. *vid. Gothofr. ad d. l. i. §. 10. in voce tenebra.* In Gallia si Princeps Regii Sanguinis in lucem edendus, parturientibus Agnatorum legati adsunt, amoliendæ fraudis gratia, teste *Piafecio in Chron. gestor. in Europ. singular. ad ann. 1601. pag. 11. 300.*

XLVIII. Si ergò de veritate partus posthumi constet, eundem jura natorum consequi nemini dubium esse potest. Neq; id solum in successione privatarum rerum, verù etiam publicarum fieri historiarum monumenta testantur, quæ nunc uberius adducere non vocat. Et de primogenituræ jure res quoque clara est; Secus antè de Majoratu proprie dicto, uti vel ipsum nomen evincit. Nam in hoc non primogenitus, quæ talis, sed qui ex Agnatis major natus est, succedere solet. Putat quidem Seldenus, apud Hebræos filium

lium posthumum veluti gemellorum primum aut primogenitum ex 2. uxoribus gravidis, jus primogenituræ, quod duarum portionum acquisitione consistebat, non habuisse; & sane generalitas textus reclamare videtur. *deut. 21. v 17.*

XLIX. Neque de jure Feudali aliter constitutum esse legimus. *arg. l. F. 8. junct. 2. F. 1.* casu tamen, quo non ex tantibus masculis fœminæ succedunt. *d. c. 8. §. 2. & 2. F. 17.* per supervenientem masculum excluduntur, si postea natus probetur in utero materno conceptus jam fuisse eo tempore, quo successio fœminæ delata est. *arg. l. qui in utero. 7. & pen. ff. d. stat. hom. Vult. d. Feud. c. 9. n. 49. circa fin. Ludvrell. c. 6. p. 286.* Neque tamen propterea fœminæ semel exclusæ in perpetuum sunt excludendæ, uti nonnulli opinantur. *per §. 1. l. F. 6.* Stante verò hac opinione, exclusæ reputabuntur, etiamsi posthumus natus statim decedat. *per l. 2. & 3. C. d. posth. hered.* Etsi namque is, qui mox natus de vita decessit, pro eo habeatur, ac si nunquam natus fuisset. *c. 3. X. de V. S.* Rectè tamen id accipiendum de tempore, quod mortem ejus insequitur; non autem illo, quo vixit, nec ratione illorum, quæ sub conditione nativitatis illius relicta, vel adempta sunt. *arg. l. ex facto. 17. §. pen. ff. ad Sct. Trebell. Vult. d. c. 9. n. 54. Ludvrell. dict. cap. 6. in fin.*

L. Posthumus itaque natus quocunque tempore, ex quacunque Edicti parte Bonorum possessionem agnoscere potest, sive ex testamento succedat, sive ab intestato; modò talis fuerit, ut si in rebus humanis esset, bonorum possessionem petere posset. *l. ubicunque. 7. pr. l. fin. ff. d. ventr. in poss. mitt.* sive solus petat, sive cum aliis. *d. l. 7. in f.* Ejus tamen favore mulier in possessionem mittitur, & quidem cum causæ cognitione, si quis sit, qui controversiam referat. *d. l. 7. §. 1. l. 1. §. 14.* si tamen eo deferente mulier juraverit, prægnatem se esse, servandum est jusjurandum; nec tenebitur mulier, quasi calumniæ causa fuerit in possessionem missa, nec vis ei faciendæ est post jusjurandum. Post partum vero quæritur, an ex marito prægnans fuerit. Alteri enim nec prodest, nec nocet jusjurandum inter alios factum; nec partui igitur nocebit. *l. 1. pr. ff. si. vent. nom. mulier.*

LI. Quoties autem venter in possessionem mittitur, solet mulier curatorem ventri petere; solet & bonis; sed si quidem tantum

tantum ventri curator datus sit, creditoribus permittendum in custodia bonorum esse; si vero non tantum ventri, sed etiam bonis curator datus est, possunt esse securi creditores, cum periculum ad curatorem pertineat. Idcirco curatorem bonis ex inquisitione dandum, idoneum scilicet, oportet creditores curare; vel si quis alius est, qui non edito partu successionem speret. *l. 1. §. quotiens. 17. ff. d. vent. in poss.* Hoc autem jure utimur, ut idem curator & bonis & ventri detur; sed si creditores instent, vel qui sperat se successurum, diligentius atque circumspectius id fieri debet; & plures si desiderentur, dandi sunt. *d. l. 1. §. hoc autem. 18.* Eligitur autem curator ex his, qui tutores dati sunt posthumo, aut ex necessariis affinibusque, aut ex substitutis, aut amicis defuncti, aut ex creditoribus; sed utique is, qui idoneus videbitur; aut si de personis eorum quaestio moveatur, vir bonus eligitur. *d. l. 1. §. eligitur. 23. ff. d. vent. in poss.*

LII. Quod si nondum curator sit constitutus, quia plerumque aut non petitur, aut tardius petitur, aut serius datur: res hereditarias heres institutus vel substitutus obsignare non debet, sed tantum pernumerare, & mulieri assignare. *l. 1. §. quod si. 24. ff. d. vent. in poss.* Custos quoque ab herede poni potest, ad custodienda ea, quae sine custodia salva esse non possunt, ut puta pecoris, & si nondum messis vel vindemia facta sit. *d. l. 1. §. idem. 25.* Curatore autem constituto haec omnia cessant. Nam hujus officium est conscribere res omnes, & Inventarium conficere. *d. l. 1. §. curatore. 26.* Curare quoque debet, si periculum est, ne interim res usu capiantur, nec debitorum tempore liberentur. *d. l. 1. §. item. 21.* ut solvendi debiti ratio habeatur, utique ejus, quod sub poena aut pignoribus preciosis debetur. *l. curator. 5. §. 1. ff. d. t.* Quinimò ea omnia agere, quae solent curatores atque tutores pupillorum. *d. l. 1. §. ita. 22. ff. d. vent. in poss. mitt.*

LIII. Itaque curator ventris alimenta mulieri statuere debet. Nec ad rem pertinet, an dotem habeat, unde sustentare se possit, quia videntur, quae ita praestantur, ipsi praestari, qui in utero est. *l. Curator. 5. pr. ff. d. t.* Omnia quoque illa, sine quibus foetus sustineri, & ad partum usque produci non possit, sub-

D

mini-

ministrare debet. v. g. cibum, portum, vestitum, lectum, eaq;
pro facultatibus defuncti, & pro dignitate ejus atque mulieris.
d. l. i. §. mulier. 19. ff. d. vent. in poss. Etiam habitatio, si domum
defunctus non habuit, conducenda erit mulieri, & servis ne-
cessariis ad ministerium, secundum dignitatem cibaria præ-
standa. *l. habitatio. 4. ff. d. t.* Extraneo autem posthumo herede
instituto non aliter venter in possessionem mittitur, nisi mater
aliunde se alere non possit, ne forte ei, qui natus bonorum pos-
sessor futurus est, denegasse alimenta videamur. *l. extraneo. 6.
ff. d. t.* Cæterum quod in ventris alimenta deminutum est, he-
reditati detrahitur, velut æs alienum. *l. pen. ff. d. t.* quæ deminutio
fieri debet primum ex pecunia numerata, si ea non fuerit
ex his rebus, quæ patrimonia onerare magis impendio, quam
augere fructibus consueverunt. *d. l. i. §. deminutio. 20. ff. d. vent.
in poss. mitt.*

LIV. Quod si ea, quæ in possessionem vult ire, uxor ne-
getur, vel nurus esse vel fuisse, vel ex eo prægnans non esse con-
tendatur; si calumnia manifesta appareat, nihil novi Prætor
decernere debet; si dubitari justè poterit, operam dare, ne
præjudicium partui fiat. *d. l. i. §. si ea. 14. ff. d. vent. in poss. mitt.*
Æquius enim est, vel frustra nonnunquam impendia fieri,
quam denegari aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum
aliquo casu futurus est. *d. l. i. §. 2. & §. sed si. 9.* Tamdiu au-
tem venter in possessione esse debet, quam diu aut pariat, aut
abortum faciat, aut certum sit, eam non esse prægnantem. Et
si sciens, prudensque se prægnantem non esse, aliquid ex bonis
defuncti consumpserit, de suo refundere debet. *d. l. i. §. pen. &
ult. & si eum ediderit, qui repulsus est, discedere; quanquam
sumptus bona fide facti non repetantur. l. 2. & seq. ff. d. t. d. vent.
in poss. l. un. §. interesse. 7. ff. si. mul. vent. nom. scilicet, si falsa existi-
matione decepta sit mulier. arg. l. ea, que. 18. ff. d. his qui not. infam.*

LIV. Competit autem actio contra manifestam calumni-
atricem ex edicto Prætoris, qui sicuti facilis est circa bonorum
possessionem dandam mulieri ventris nomine, ita calumniam
ejus impunitam relinquere non debet. *l. un. §. ii. ff. si. mul. vent.
nom.* In parentem quoque Prætor actionem pollicetur, si per
eum

eum factum sit, ut filia in poss. per calumniam veniret. *d. l. un. §. in parentem. §. & fin.* Datur autem ei, cujus interfuit, in possessionem missum non esse, ut puta coheredi speranti partum, vel is qui substitutus fuit, vel qui ab intestato, si partus non fuisset, succedere potuit. *d. l. un. §. competit. 6.* etiam legatario *d. l. un. §. pen. & eorum omnium heredibus. d. l. un. §. nonnunquam. 8. & seq.* Quasi autem pœnalis est hæc actio, & intra annum utilem datur, non ulterius. *d. l. un. §. 3.* non solum ad id, ut repetantur alimenta, quæ in ventrem sunt erogata; sed etiam, quanti agentium interfuit. *d. l. un. §. interesse. 7. & seq. & §. simili. 4.* Sed etiam hoc imputatur mulieri, quod deminuta sunt multa in hæreditate, dum alius, qui jus adeundi habebat, contemplatione ventris non attigit hereditatem. *d. l. un. §. nonnunquam. 8. in f. ff. si. mul. ventr. nom.*

LVI. Notatur quoque infamia, quæ per calumniam ventris nomine in possessionem missa est, dum se adfereret prægnantem, cum non prægnans esset, vel ex alio concepisset. *l. notatur. 15. & l. seq. ff. de his qui not. infam.* Debit enim coërceri, quæ Prætorem decipit. Quæ autem falsa existimatione decepta est, non potest videri esse calumniatrix. *l. debuit. 17. & 19. d. tit.* Non alia autem notatur, quam ea de qua pronunciatum est, calumniæ causa eam fuisse in possessionem missam; idque & in patre erit servandum, qui calumniæ causa passus est, filiam suam, quam in potestate habebat, in possessionem ventris nomine mitti. *l. non alia. 19. ff. d. t. de his qui not. infam.* Sed & alio Edicto prætor rectissimè prospexit, ne, dum in favorem partus possessionem polliceatur, aliis occasionem prædæ præbeat. *leg. 1. pr. ff. si vent. nom. mul.*

LVII. Nam si mulier, quæ in possessionem missa, vel is, in cujus potestate ea fuerit, possessionem dolo malo, & circumscribendi alterius gratia, clam, & per quandam machinationem in alium transtulerit, Prætor actionem in eos pollicetur, quanti interfuerit ejus, qui experitur. *l. 1. §. 1. l. 2. si vent. nom.* Ipse enim, qui possidet, possessione decedere debet, cogetque eum Prætor vel potestate extraordinaria, vel quod si ius, remedio ordinario. *d. l. 1. §. 2. ibique Gothofr.* Quod si vero
D 2 vel

vel bonæ fidei possessor fructus consumserit, vel prædo solvendo non sit, tum demum contra mulierem vel ejus patrem actio hæc locum habebit, dabiturque etiam post annum, cum sit rei persecutoria. *d. l. 1. §. 3. & seq.* Dabitur autem agenti Electio, utrum contra mulierem, an vero contra ejus patrem velit experiri, quod si id, quod ei abest, ab alterutro obtinuerit, præter sumptus litis causa factos inutilis postea erit actio *d. l. 2. inf. ff. si vent. no.*

LVIII. Atque ita succedit posthumus, si solus sit. Antiqui enim libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi jura ei omnia integra reservarent. *l. 3. pr. ff. si pars. her. d.* Non solum enim legitimæ hereditates ei sunt restituendæ. *l. pen. pr. ff. d. stat. hom.* Sed etiam, qui post ventrem sunt agnati non admittuntur, dum incertum est an nasci possit. *d. l. 3. l. cum quidem. 30. §. 1. ff. d. acquir. hered. l. 1. §. si quis. 8. ff. und. cognat. l. 3. §. si vent. 4. ff. Quis ordo in Bon. Poss. l. pen. §. 1. ff. und. legit.* Quod si tamen pari gradu v. g. alius sit filius, hic interea quartam partem hereditatis solum petere potest. *d. l. 3. inf.* neque dimidiam partem debiti paterni sed solum partem quartam. *l. sed est. 28. inf. ff. de judic.* ne incidat in pœnam plus petitionis. *l. si pater. 26. ff. de solut.* Quanquam olim inter veteres Jurisconsultorum Scholas de eo disputatum: sciri enim non poterat, quot ex prægnante nasci possent, cum multa de hujusmodi re tam varia & incredibilia crederentur, ut fabulis annumerarentur. *d. l. 3. pr. ff. si pars hered.*

LIX. Nam traditum est, & 4. pariter puellas à matrefam. natas esse, & quinquies quaternos enixam Peloponnesi, & multas Ægypti uno utero septenos. Et Hadriani tempore Septimia Alexandrina mulier libera ad Imp. perducta est cum 5. liberis ex quibus 4. eodem tempore enixa dicebatur, quintum post diem 40. *d. l. 3. ff. si pars hered. pet. l. utrum. 7. ff. de reb. dub. l. si pater. 26. ff. de solut. ibique Gothofr.* ubi plura numerosorum partuum exempla refert, sed & nostro seculo in Exercitu Suecico an. 1640. mens. Junio inter eas, quæ castra sequuntur, uno fœtu 7. edidit infantes. 4. masculos & 3. fœmellas *vid. Theatr. Europ. tom. II. p. 400.* & ad ann. 1603. circa Varadinum mulierem gravidam octo infantes uno partu effudisse narrat *Piascius in Chron. p. m. 213.* Prudentissimè autem juris autores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rarum admodum potest, intuerentur.

tuerentur. Et quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignaverint, adeo, ut si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rato accresceret, si plures quam tres, decrederet pro ea parte, ex qua heres factus est. *d. l. 3. & seq. ff. si pars hered.*

LX. Prosequamur jam paucis reliqua Posthumi jura. Si defuncto succedere cupiant liberi emancipati cum iis, qui in ejus potestate remanserunt, semper bona propria conferre coguntur, quæ scilicet aliàs patri acquisivissent, quod manifestâ habet æquitatem. *l. 1. pr. ff. d. collat. l. si emancipati. 9. C. eod.* Sui namq; maxima injuria afficerentur, si emancipati succederent ex partibus æqualibus, & retinerent quoque ea bona, quæ post emancipationem sibi acquisiverunt, & si emancipati non fuissent, patri defuncto fuissent acquisituri *vid. Gothofr. ad rubr. ff. d. collat.* Non solum itaque nepos posthumus filii emancipati post avi mortem editus, bona paterna suis conferre debet. *l. 2. pr. ff. d. collat.* Sed etiam emancipati, si posthumus fortè præteritus, rupto patris testamento, ab intest. succedat, bona sua conferre perpetuo edicto jubentur. *l. posthumo. II. C. eod.*

LXI. Tralaticium est, partum ventris sive matris conditionem sequi *l. partum. 7. C. d. R. V. l. fin. C. d. liberal. caus. in eo quod liberalem causam concernit. l. avi. 28. C. eod. d. l. 7.* Sufficit autem, ut partus ingenuus nascatur, matrem, dum ipsum utero tulit, vel momento liberam fuisse. *pr. Inst. d. ingen. l. & servorum. 5. §. 2. l. Imperator. 18. ff. d. stat. hom. quod vel in ipso pariendi actu spectatur. l. Arescusa. 15. ff. eod.* Cum si statu libera serva pœnæ facta sit, & post damnationem, statutz libertatis conditio extiterit, quamvis quasi statu liberæ nihil proficiat, partui tamen proficere oportet, ut perinde liber nascatur, atque si mater damnata non esset. *l. si statu libera. 6. pr.* Neq; enim calamitas matris ei nocere debet, qui in ventre est. *d. pr. Inst. d. ingen. d. l. 5. §. 2. ff. d. stat. hom.* Cujus in eo quoque commodum versatur, quod matris conditionem sequitur. *l. pen. ff. eod.*

LXII. Ita si prægnans mulier ab hostibus capta sit, partus postliminium habet. *d. l. pen.* quid tamen si conceperit in servitute; deinde ab hostibus capta pepererit ibi post existentem conditionem libertatis; An liberum pariet? Et interim quidem,



quin servus hostium sit, nequaquam dubium est; sed verius, postliminio eum liberum fieri, quia si mater in civitate esset, liber nasceretur. *d. l. 6. §. 1. ff. d. stat. lib.* Plane si apud hostes eum concepisset, & post existentem conditionem edidisset, benignius dicitur, competere ei postliminium, & liberum esse. *d. l. 6. §. 2. fac. l. apud. 9. l. Divi. 25. ff. de capt. & postlim. revers.* Nihil autem interest, quomodo captivus revertatur, an vi vel fallacia hostium potestatem evaserit, modò ea mente venerit ut non illò reverteretur. Nec satis est corpore domum quem rediisse, si mente alienus est. *l. nihil. 26. ff. eod.*

LXIII. Ita Posthumus sequitur conditionem patris. *d. l. pen. ff. d. stat. hom.* in iis scilicet, quæ extra statum ingenuitatis vel servitutis posita sunt. *arg. d. l. 6. C. d. R. V. d. l. avi. 28. C. d. liber. caus. ibique Gothofr.* Itaque paternos honores neque posthumo invidere oportebit. *arg. l. Senator. II. C. de dignit. l. exemplo. 36. C. de Decur. & nobilis erit, patre nobili natus, etiamsi mater plebeja, quippe quæ per nuptias nobilitatem adipiscitur. arg. l. mulieres. 13. ibique Gothofr. C. eod. tit. d. Dignit. l. femine. 8. ff. d. Senator.* Contra si pater ex colonis patrimonialibus vel saltuensibus sit, posthumus quoque iisdem functionibus erit implicatus. *arg. l. 1. C. d. fugitiv. colon.* Idem est in posthumis Decurionum. *arg. d. l. 36. l. nullus. 44. C. d. t. d. Decur. Murilegulum, arg. l. pen. C. d. murilegul.* Nam in his omnibus, ubi legitima sunt nuptiæ, liberi patrem sequuntur. *leg. cum legitima. 19. ibique Gothofr. l. lex natura. 24. ff. d. stat. hom. l. liberos. 10. ff. d. Senator.* nisi lex specialis matris originem sequendam inducat. *d. l. 24. l. 1. §. 2. ff. ad municip. ibique Gothofr. l. eos. 22. C. d. Decur. l. hi. qui. 12. d. l. pen. C. d. murileg.*

LXIV. Quicquid b. f. possessor justo titulo per longum tempus non interrupta serie tenuit, illius dominium pleno jure acquirit. *pr. Inst. d. usucap. l. un. C. d. usucap. transform.* At si ancilla prægnans surrepta fuerit, quamvis apud b. f. possessorem pepererit, id quod natum erit, tanquam furtivum, usui non capitur. *d. l. pen. ff. d. stat. hom.* quia rei furtivæ usucapio nulla. *§. 2. Inst. d. t. d. usucap. l. sequitur. 4. §. quod autem. 6. ff. eod.* Uti neque ejus, quod inde oritur v. g. lanæ ovium furtivarum, *d. l. 4. §. lana. 19. & seqq. ff. d. t. adeoque nec partus ancillæ furtivæ. d. l. 4. §. illud. 16. l. si aliena. 10. §. 2. ff. eod.* sc. si apud b. f. possessorem vel tantum concep-

ptus,

ptus, d. §. 16. vel tantum editus fuerit. d. l. pen. Nam si & conce-
 ptus & editus fuerit, usucapi poterit. l. non solum 33. pr. ff. d. t. de
 usucap. l. qui rias. 48. §. ancilla. 5. ff. d. furt. l. 3. C. d. usucap. pro emptor.
 Alia autem ratio in fœtu pecorum, qui à b. f. possessore statim ac-
 quiritur, neque usucapione indiget. d. l. 4. §. 19. l. bona fidei. 48.
 §. f. ff. d. A. R. D. ille enim in fructu est; partus ancillæ non item.
 §. pecudum. 37. Inst. d. R. D. d. l. 48. §. f. l. vetus. 68. ff. d. usufr. l. in pe-
 cudum. 28. §. 1. ff. de usur. junct. l. justissime. 44. pr. ff. de edil. Ed. l. An-
 cillarum. 27. pr. ff. de pet. hered.

LXV. Tandem & circa jus Patronatus jus Posthumi specta-
 tur. Nam libertus, quamdiu patroni filius nasciturus speratur, à
 libertinitate exemptus non est. d. l. pen. in fin. ff. d. stat. hom. adeo-
 que ab alio arrogari nequit, l. si pater. 15. in f. ff. d. adopt. l. 3. C. eod.
 sed posthumo opetas præstare tenetur. arg. l. ut jurisjurandi. 7. in f.
 l. cum patronus. 22. §. 1. l. si operarum. 29. ff. d. oper. libert. & obse-
 quium. l. si quis. 5. §. utrum autem. 20. in f. ff. d. agnosc. & al. lib. l. pa-
 rens. 5. ff. de obseq. parent. quamvis accepta ob id pecunia patro-
 nus eum manumiserit. arg. l. 3. ff. d. t. l. 3. C. eod. l. i. C. de bon. li-
 bert. aut opera eidem sint remissa. l. libertus. 41. ff. eod. Neque ta-
 men patronus libertum tractare duriter, in vincula conjicere, &
 similia ministeria ab eo exigere debet. l. libertos. 6. C. de obseq. patr.
 præstand. Nec audiendus est patronus, si poscit operas, quas vel
 ætas recusat; vel infirmitas corporis non patitur; vel quibus in-
 stitutum vitæ minuitur. Suo tamen victu operas liberales præ-
 stabit libertus; quod si se alere non possit, præstanda ei à patro-
 no alimenta, aut certè opera ita exigendæ, ut his quoq; diebus,
 quibus operas dat, satis temporis ad quæstum faciendum, unde
 ali possit, habeat. l. nec audiendus. 17. & l. seqq. ff. dict. tit.

l. Medius. 26. in f. pr. ff. eod.

Et tantum pro ratione propositi de Jure
 Posthumi.

Ad Nobilissimum & Pereximium Dn. Disputantem.

Qui POSTHUMORUM jura solers discutis
 Dilecte SCHERBAUM, fallor, annon posthumam
 Laudem mereris? Non dubito quin & fies
 Jure meritoque laude præsentancâ

Dignus.

Dignus. Et amica spes fovet, fore, ut queas,
Si more solito strenuè perrexeris
DEO, Bonis & perplacere PATRIÆ,
Majore posthac eminere gloria.

B. ominis ergò applaudit


Exercitii PRÆSES.

INfausta sortes, & duri conscia fati
Omina, funestos comitantia cedite luctus;
Vos alio Libitina vocat: dum prospera verba,
Et latus inter voces, plaususque secundos,
Posthumus, infelix nomen, mœstæque paterni
Scribuntur leges, & tristia jura sepulchri;
Mistæque cum votis intempestiva, sed isti
Non aliena loco, vel condonanda querela
Luget & humanæ gemit infortunia vitæ.
Ah quoties inter viduæ suspiria matris
Atrato projecta thoro, lugubria pompæ
Funeris & tumuli damnum titulosque paterni
Natali, cum luce videt, præfagaque fati
Lumina pullato aspectu juvenilia pascens,
In lacrymas nondum primas satis apta, perempto
Orba patre, & rapti genitoris, posthuma proles,
Inferiis, gemitu jam singultante parentat!
Illam non patrii manes, non flebile matris
Officium, aut sævi miseratio casus, & ætas
Opportuna dolis, fraudique obnoxia possunt
Insidias contra tutam præstare, sed inter
Crudelis depressa jacet ludibria sortis:
Non tamen & deserta; Themis complexa clientem
Suscipit, & valido plusquam solamine seri
Pensatura moras uteri, in præsumpta parentis
Fictæque vota vocat; commendatumque pupilli
Grande patrocinium, & generoso munere sanctum
Auxilium, sed triste, suis committit alumnis;
Quorum inter primos dudum pietate receptum
Te doctrina iterum locat insignique probata
Pignore sacrați juris prudentia: per quam
Nomen, Amice, Tuum, non vana nobile laude
Durabit post fata Tibi, sed fera superstes,

Amico scr.

Ulricus Obrecht. U. J. Dndus.






Strassberg, Diss., 1670

X2677027

V. 17







23

P. 24. num. 8.

I. N. D. N. J. C. Pri. 24. num. 8.
DISPUTATIO JURIDICA

De

JURE POSTHUMI,

1670, 20a

22

Quam

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, atque
Consultissimi,*

DN. GERHARDI von Stöcken /

V. J. D. Inst. Imper. in Inclyta Argent. Universitate

P. P. Ejusdemque p. t. RECTORIS MAGNIFICI; Patroni
ac Præceptoris sui æviternum colendi.

SOLENNI


Eruditorum Disquisitioni subjicit

JOHANNES SCHENK

Hauvingâ - Marchicus.

A. & R.

die 19. Martij horis locoque solitis,



ARGENTINÆ

Litteris JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.

ANNO clō Iōc LXX.



P. 231.